

## P R A E F A T I O.

*miseros nos esse libenter*

*Quatenus id facimus.*

**E**s̄to. Hæc sacra aliter non constant. Etiam per ludibria, per probra atq; opprobria maleferiatorum quorundam, divinæ gloriæ, aliorū utilitati, & nostræ bonæ conscientiæ litandū est.

Sunt alij, quibus farrago disputationum & altercationum, in se semper recurrentium, displicet: Litem totam una vice semel ac simul confectam cuperent. Sed hi mancipia pauci laboris sunt. Nesciunt, quanta sit vis inolitæ opinionis, & quantum possit inveteratum in suam cuiusq; sectam studiū. Error, ubi semel adlibuit & consuetudine longa familiaris esse cœpit, malum est quavis scabie insanabilius. Hydræ instar est: Cervicem unam si amputes, illico plures repullulant, per quas respicit. Germen intus latet, & præjudicia, affectus, aliaq; subito protrudunt. Hinc novus semper laboꝝ, & qui, ut ille ait,

*redit actus in orbem.*

Sunt alij, qui solo litium odio, & puro puto amore ac studio pacis, cōtroversias omnes de Religione videri volunt respueſte, nosq;, ut litium ac rixarū mancipia dominant; sed, si paulo propius eos videas, aliud in cauſſa eſt. Laborem inquirendi in reſ ſacras, utpote rebus ſuis inutilem, defugiunt, & ignorantia simul atq; ignaviæ ſuæ, pīj affectus purpuram prætexunt, ne studio utramque affectasse videantur. Docet id vita eorum in rebus mundi huius negotiosiſſima ſimul ac litigiosiſſima. De ſtillicio, de tigno, de cloaca, de oſco & obſoleto aliquo vocabulo, de commate, de accentu, de lana caprina, de umbra aſini, lis modò incidat, diſputatores mortales, in foris, in compitis, in circulis, in ambonibus non reperias. Crederes eos ad Jurgia natos factosq;, & in litibus veluti Pyraustas in igne vivere. Solæ reſ ſacrae mortalibus iſtis non magis curæ ſunt & cordi, quam ſuibus. Susq; deque habent, quid quifque de qua que re in divinis credat.

*Minimum eſt, quod ſcire labora,*

*D*